

neque in causa est, cur vel ipsa diaphana, vel alia per ipsa conspiciantur. Non ergo albedo, in diaphanis, vel color est, vel tamquam color. Cum ergo aer colorem non habeat, neque lucidum corpus sit, nec tenebrosum, non videtur posse per se videri, neque esse visibilis. An vero, eodem modo alia diaphana non sunt per se visilia? Sane æther, nequaquam est conspicuus. Sed huius rei, duplex potest esse ratio, quia scilicet, et procul est a nobis; et quia ab aere occulitur. His addatur, ratio tertia quia sit maximæ, et raritatis, et tenuitatis. Quibus, cum minus credatur prædictus esse aer, et aer non cernitur, multo minus cernetur æther. Quid ergo illud est, quod oculis clara die in cœlum sublatis, fornicis instar conspici videtur, cœrulei coloris, aer ne ille est, an æther? œruleus quidem color, inter nigrantes uti postea apparebit set numerandus. At nigror re vera omnis est ab opaco: in æthere vero nulla est opacitas, ut ab ea cyaneus ille color esse, possit dici. Qui ergo ibi appetit? An aeris profunditas, eam reddit apparentiam? Ita videtur, ut scilicet in magna distantia, ob multarum sui partium interiectionem, ac mutuam subitionem, opacitatis aliquas sumat vices. Hoc enim proprii muneris habet aer, ut longo sui intervallo res etiam coloratas, et bene visiles, et in claro lumine obtegat, sano etiam atque acuto visui, ut illæ nempe menime cernantur, et ipse appareat umbrosior. Hæc utraque opaci corporis sunt propria, non autem diaphani. Partes ergo aeris multæ, quamvis omnes, lumine æque collustrentur, inter obiectum, et visus interpositæ, veluti densitatem quandam induunt: atque ideo in perspicuo corpore contra sui naturam, opacitatem aliquam efficientes coeruleum illum, vel cyaneum colorem representant. Cur autem in fornicis modum visitur? Quia circumquaquam ab æquali intervallo, oculos nostros incurruunt quasi in centrum, partes illæ aeris omnes, opacitatem eam referentes. Hanc ob causam opacitatem in aere efformari, ob partium videlicet multiplicationem et subitionem testimonio sunt diaphana omnia, quæ nobis sunt præ manibus. Nam si quis duo, vel vitra, vel crystalla, unum alteri superponat, opaciora efficientur ambo. Luminis enim penetrationi, ac pertransitioni præcludunt viam, magis quam prius, quando una tantum erant. Si tertia vel quarta adiunges, opacantur etiam magis. Et quanto plura superposueris, tanto effeceris opaciora, ita ut tandem, et lumini negent transitum, et visui, et colori. Omnium ergo diaphanorum, eadem hac in re est natura, ut partium multiplicatione ac subitione, opacitatem vel sententiant, vel efficient. Nam maria quoque idem patiuntur, si vera, urinatores unionum, in orbe novo referunt: Solis radios, non nisi, ad certam profunditatem, fundum illustrare. Ubi altius sit mare, non illuminari. Quin statim aqua, in vitro vase parvo, lumini ac visui dat transitum liberiorem, quam si maius vas fuerit. In lacubus quoque ac fluminibus, etiamsi limpidissima sit aqua, minus, quæ sunt in fundo visu percipimus, si alta; quam si brevior alicubi fuerit aqua eadem. Magno ergo intervallo, limpidissima diaphana vel opacitatis rationem subeunt, vel reapse redduntur opaca. Ita ut et visum rerum adimant, et lumini transitum præcludant. An vero æther, et ipse sit huius modi, nec negaverim, nec affirmaverim. Tam enim a nobis procul positus est, ut visus noster, eo non pertingat. Satis illud constat, stellarum luces, a nobis per tenebras etiam cerni, et lumina Veneris et Lunæ, usque ad terram pervenire; aere lumine Solis apud nos vacuo. An vero, eadem ætheris, vel profunditas, vel opacatio, luces stellarum infra sextam magnitudinem, nobis occultet, in incerto est. Nulla enim orbium, (si orbes sunt) opacitas sui dat sensum. Vel etiam potius aeris est ea opacitas, quæ nobis visus stellarum æstate adimit, quæ hyeme, noctibus serenis, infinitæ fere numero visuntur? Vel vaporum id vitium est, qui aerem implet, et visui nostro se se opponunt, hieme vero liberum aerem relinquunt, cum nulli ob pororum, terræ frigore constipationem, attolluntur. Quid ergo concludendum? Omnia ne diaphana sunt invisilia? An vero visilia? Et si visilia sunt, per se ne, an per accidens sunt visilia? An vero pars eorum visibilis est? Pars alia invisibilis? Omnia quidem in tenebris, in obscuro, in umbra densiore, invisilia sunt, in umbra vero clariore ac lumine, visibilis est eorum pars, vitra atque crystalla. Idque quia solida sunt, soliditas autem omnis est a terra. Terra autem omnis colorata? Pars vero alia invisibilis æther, et aer, luce carentes. Aqua vero, inter duo illa et duo hæc, medium quoddam videtur esse. Invisibilis videretur esse, nisi